

lat. 10. cap. 1. perhibet moris esse, ut sancto Epiphaniae die inter sacra mysteria populus admonetur, quoniam die Paschale festum sit celebrandum.

7. Formatis pariter accensendae sunt encyclica, siue circulares epistolae, quae vel ab Episcopo Romano, vel a Primate, vel ab inferiore Praelato, vel e Synodo transmittuntur ad plures Ecclesias, vel personas distribuendae, siue in causa fidei, siue in rebus disciplinae, siue ad indicandas preces aut jejunia, vel ad fideles de aliis rebus admonendos.

8. Inter formatas recensentur quoque commonitoriae seu memoriales litterae, quae Legatis, vel Nunciis vel Apocrisariis ac responsabilibus Ecclesiasticis expediuntur, praescribentes ut se gerere debeant in ministerio sibi instructo. Harum sit mentio in can. 98. Concilii Africani, & apud Cyrillum episc. 1. ad Successum, apud Augustinum ep. 120. & 158. & Sidonium Apollinarem lib. 8. carm. ad Lampridium, aliosque veteres.

9. Locum praeterea inter Formatas habent Tractoriae quibus providebatur, ut Praelatis ad Synodum commean- tibus vecturae, & viaticae suppeditarentur. Harum meminit Carthaginense Concilium quintum, can. 10. Non hic sermo est de tractoriis Imperatorum, etiam in convocandis Episcoporum Synodis, quales innumera leguntur in veterum Conciliorum & historiarum Ecclesiae monumentis. De tractoriis multa ex sacris & ex prophetis Scripturis testimonia congerunt duo Galliani Jurisconsulti consummatissima eruditionis, Barnabas Brissonius de verborum significatione, v. Tractoria: & Jac. Cujacius ad lib. 12. Codicis, tit. 51. qui de Tractoriis.

10. Inter commoda innumera & emolumenta, quae in universam Ecclesiam per formatas diffunduntur, primum dignitatis habebat olim locum admirabilis illa fidelium toto terrarum orbe in unitate fidei in officiis caritatis, & sanctitate disciplinae communio. Religiosissimam istam societatem emulati sunt Schismatici, & Haeretici, sed nunquam assequi potuerunt. Hoc unitatis Ecclesiae argumentum tamquam inevitabili telo Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, haereticorum sectas impugnavit, & profligarunt. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, recensita Episcoporum Romae a Petro ad Damascum usque serie, addit, cum quo (scilicet Damaso) nobis votis orbis commercio formatarum in una communione societate concordat. Augustinus etiam, ut Fortunianum Episcopum Donatistam affirmare ausum, suam suorumque gregalium societatem ubique terrarum protendi, dum vult sibi Catholici, hoc est universales denominationem vindicare, falli manifeste convincat, sic scribit episc. 163. ad Eleusium: Quarebam (ait) ab eo, utrum communicatorias epistolae, quas Formatas dicimus, posset quo vellet dare? Et affirmabam quod manifestum erat omnibus hoc modo facillime illam terminari quaestionem posse. Refert Gregorius Nazianzenus invidia invidiam, transferre in Gentilissimum proposuisse multos laudabiles quibus Ecclesia florebat ritus, ac praesertim litteras hospitalitatis.

DISSERTATIO VIII.

De publicis praeceptorum Christianorum poenitentibus.

1. **P**erique magna eruditionis Scriptores materiam istam pertractant, inter quos eminent Joannes Morinus Congregationis Oratorii Domini JESU insignis decus, & ornamentum. Sciendum in primis de diversis publicae poenitentiae speciebus, Nicenae primae Synodi canones 11. & 22. tres illius distinguere species aut classes, Auditorum, Substratorum, & citra oblationem communicantium. Auditeres juxta fores Ecclesiae, ab earum tamen limine exclusi, in summo luctu, & squalore, faecis & eliciis amicti versabantur. Idemque post statutum tempus in substratorum stationem transibant. Substrati porro intra Ecclesiae partem, quae a forium liminibus primum occurtebat, & Narthex vocabatur, admitti solebant, ibique Missae partem illam, quae catechumenorum dicebatur, nec non homiliam ac sermonem qui in Ecclesia de suscepto post decantatum Evangelium pronuntiabatur, una cum catechumenis audiebant; sed ante offertorium, ne mysteriis ineffabilibus interessent, una cum catechumenis & energumensibus, ut Dionysius in sua Ecclesiastica Hierarchia docet, voce Diaconi a liminibus templi omnino excludebantur; solusque in templo persistebat ad finem usque Collectae ac Missae tertius poenitentium ordo, qui solius divinae Eucharistiae communionis exors erat. Niceni quidem Patres nihil de poenitentibus omnino ab Ecclesia aditu prohibitis meminerunt, qui Lugentes dicebantur, sed tacite supponunt,

juxta illud Apostoli 1. Cor. 5. Quid enim mihi de his, quae foris sunt, judicare? Praeterea cum iidem Patres can. 11. protestentur, se humanis & praeter meritum eorum, qui sub nupta Licinii tyrannide lapsi fuerant, decernere; credendum est, ne canonica severitas lapsos deterret, eorumque conversioni obsisteret, remissa illis fuisse asperioris stationis lugentium observationem, ideoque ab initio ipso remissos fuisse reos hujusmodi ad secundam, quae est Auditorium stationem.

2. At vero S. Gregorius Neocaesariensis & Basilus Magnus, in suis poenitentium Canonibus, alique veteres Patres publicae poenitentium quatuor distinguunt ordines in *προκαlausίων* sicutum, *ἀκριάτω* auditionem, *ὄρατο- σιν* prostrationem & *ὀσώω* confessionem, quibus tandem succedebat *παύσις* participatio Eucharistiae. Exempli gratia, Basilus in suis ad Amphilochoium canonibus, praescribit mechis annos publicae poenitentiae quindecim, quatuor nimirum in fetu, quinque in auditione, quatuor in prostratione, reliquos duos in confessione. Gregorius autem Neocaesariensis can. 11. sientes ait arceri ab Ecclesiae foribus; audientes intra fores admitti, versari- que in parte navis, quae Narthex vocabatur. Sub auditionem autem appellatione comprehendit prostratos, istosque omnes, cum catechumenis, ante offertorium do- cet expelli foras. Ultimamque poenitentiam ordinem, qui Confitentium dicitur, una cum fidei populo ad finem usque sacrificii intus persistere, privati tamen Eucharisticae communionis. Judaeis autem, & gentilibus atque haereticis, quo facilis ad veram fidem pellicerentur, permittebatur ut promissive catechumenorum officio Ecclesiastico interessent, & concionem Evangelicam audirent: ut liquet ex Carthaginense Concilio IV. can. 84. Solis quippe primae classis poenitentibus, id est lugentibus interdicebatur Ecclesiae aditus, ut in humum abjecti sub dio, aut saltem in vestibulo preces & lacrymas funderent.

3. Poenitentium habitus erant pulle vestes cinere consperse, facci, cilicia, squallor capitis incolti. Diutinis praeterea in pane & aqua jejunis, orationum frequentia, crebris vigilis, chameuniis, omniumque deliciarum abdicacione, aliusque *οκλιραργυρίας* seu asperitatibus perpetui exercebantur; nuptias, convivia, balneas, & hominum congressus avertabantur, neque ipsis arma deserere aut militare licebat. Haec docent Arelatense Concilium secundum can. 21. Leo Magnus episc. 92. cap. 11. & Tertullianus lib. de Poenitentia, Pacianus paranesi ad poenitentiam, Hieronymus episc. ad Oceanum de obitu Fabiola; Ambrosius ep. ad virginem lapsam, & lib. 2. de Poenitentia cap. 10. Concilium Toletan. III. cap. 12. Concilium Agathense can. 15.

4. Queri potest utrum ad poenitentiam publicam adjuncta esset publica criminis confessio; Rem elucidabit una distinctio: si enim publica illa poenitentia adjuncta erat ob publicum delictum, aut publice notum, nihil repugnat ejus publicam praescribi confessionem delicti, qualis extitit Fabiola unius ex primariis Romae matronis, in aede Lateranensi, quippe quae publice alteri viro, vivente adhuc marito, nupterat per errorem juris, dum credit id sibi licitum propter mariti adulteriam. Hanc Fabiola poenitentiam Hieronym. in episc. illa ad Oceanum graphice describit.

5. Ceterum ubi delictorum occultorum publicae suscipiebatur poenitentia, ex arbitrio poenitentis simul & ex Episcopi prudentia id totum dependebat, an sufficeret generalis illa delictorum confessio, quae nullum in specie propalaret peccatum, an vero expediret aliquid particulare fateri. Et quidem pluribus praeceptorum testimoniis probari potest saepius contigisse, ut ad publicam poenitentiam nulla particularis confessio adungeretur. Primus huc accedat testis Ambrosius lib. 1. de poenit. c. 16. dicens: *Si quis occulta crimina habens, propter Christum tamen poenitentiam egerit studioso, quomodo isthic recipiet, si ei communitio non refudatur?* Hic certe occulti criminis occulta duntaxat ac generalis confessio cum publica poenitentia copulatur. At vero toto illo de poenitentia opere, sanctus Doctor non de alia, quam de publica poenitentia tractationem instituit. Statim enim ibidem subiungit: *Volo veniens reus speret, petat eam lacrymis, petat gemibus, petat votus populi feribus.* Idemque lib. 2. de poenit. c. 10. hortatur ad publicam poenitentiam; quos ab illa suscipienda pudor quidam deterrebat. Istoque ibidem nititur argumento, nihil esse caussae cur eos pudeat Deo publice supplicare, & humiliari, cum non puduerit occulte apud Sacerdotem confiteri admissum delictum, quod tamen ante privatam inquam confessionem Sacerdos ignorabat. *An pudeat (inquit) Deo supplicare quem non laes, cum te non peccata tua homini quem laes confiteri?* Quae Ambrosii ratio prorsus inepta depellendo pudori esset, si publica exomologesis, seu confessio, indivulsa semper a publica poenitentia fuisset: cum nemo ignoret graviorem multo pudorem ex publica ad universum populum criminis antea ignoti con-

cessione nasci, quam ex privata secretaque ad unius Sacerdotis aures. Hoc igitur Ambrosii loco pudor ex publica exurgens poenitentia sine specialiter peccatorum manifestatione conferret cum pudore manifestati privatim penes unum Sacerdotem per secretam confessionem.

6. Similiter Concilium Toletanum quartum can. 14. decernit per publicam illam poenitentiam, cui non fuerit comes publica delicti confessio, neminem a sacris Ordinibus excludi. Quod idem deinde iteravit Concilium Toletanum decimum tertium can. 10. Ceteroqui enim certum apud omnes est, publicam poenitentiam qua particulare crimen a populo astanti exprimebatur perpetuam peperisse ad sacros Ordines irregularitatem, ut constat ex Origene lib. 2. contra Celsum, ex Hieronymo Dialog. advers. Luciferianos; ex Siricio Pontifice episc. 1. ex Innocentio Papa episc. ad Agapitum; & ex Concilio Niceno auctoritate, Niceni primi can. 10. Toletani primi can. 2. Carthaginensis quarti, can. 68. Arelatensis quarti can. 3. Epaoensis can. 3. & alii.

7. Praeterea Leo Magnus ep. 238. alias 80. ad universos Episcopos Campaniae, Samnii & Piceni, loquens de poenitentibus publicis, perspicue docet, sufficere in his secretam penes unum Sacerdotem confessionem; nec necessesse esse reatum palam manifestari. Iste tamen tam frequentibus testimoniis unus obsistere videtur can. 32. Concilii Carthaginensis tertii, diserte prohibens omnino permitti ullam publicam poenitentiam, nisi ob publicum & vulgariissimum crimen quod universa Ecclesia noverit. Et sane canone isto vincitur diversum aliquando a reliquis fuisse Africanarum Ecclesiarum usum.

8. Siricius Papa ep. 1. cap. 14. duas circa publicam poenitentiam regulas praescribit; eam scilicet quam jam protulimus, non esse recipiendam in Clerum eum qui publica fuerit aliquando poenitentia (adde & exomologesi publica) perfunctus. Alteram, eum qui ordini Clericali fuerit adscriptus non esse ad publicam poenitentiam, neque ad manuum impositionem ailegandum; sic dicens: *Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut poenitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum; ita & post poenitentiam & reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem Clericatus adipisci.* Quod quavis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere debent, qui dudum fuerint vasa vitiorum. Disciplina hujus, quae laicus in crimen lapsus suscipiebat in poenitentiam, & communitio privabatur Sacramentorum, Clericus autem deponerebatur a Clericali gradu & honore, sed poenitentia minime addebatur, neque prorsus a communitio segregabatur, testis est locuples Basilus episc. ad Amphilochoium, can. 3. duas ibi rationes allegans; quarum prima est: quia Deus non vindicet bis in idipsum. Nahum 1. atque ideo non sit ad poenam depositionis Clerici altera poena cumulanda. Quae ratio quoque profertur circa depositionem majorum Clericorum, scilicet Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, in can. 24. Apostolorum. Altera Basilii ratio haec est: quia laicus reus completo poenitentiae canonico tempore, in pristinum communionis statum restituatur, Diaconus autem ab infirma semel depositione non resurgit. Idemque juris est in Presbyteris, & Episcopis. Sed loco publice intra Ecclesiam poenitentiae in Monasterium adigebatur aliquando. Ita constituit Joannes Papa secundus, episc. ad Casarium Arelatensem Episcopum, mandans ut Regiensis Episcopus, nomine Contumeliosus, ob sua crimina deponatur, totaque reliqua vita Monasterio conclusus veniam a Deo requirat. Concilium insuper Agathense can. 50. statuit: *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, capitale crimen commiserit, ab chartam falsaverit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in Monasterium detradatur: & ibi quandiu vixerit laicum tantummodo communionem accipiat.* Similia fancivit Concilium Epaoense can. 22. *Si Presbyter, aut Diaconus crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus in Monasterium retrudatur, ibi tantummodo quandiu vixerit communionem sumenda.*

9. Primum quidem Africanicum Concilium can. 4. praefate disciplinae videtur contradicere, dum statuit: *Poenitentiam desiderantibus Clericis non negandam.* Sed hujusmodi poenitentiam specie omnino diversam a vulgari censeo: itaut nullam irregularitatis notam poscenti Clerico inureret, non inhabilem functionibus Ecclesiasticis redderet, neque publicam ullius delicti confessionem involveret: solumque ad majorem plebis edificationem, & Clerici poscentis majorem perfectionem conduceret: quemadmodum superius ex Iulcentis Ambrosii, Leonis, & Concilio Toletanorum testimoniis demonstravi-mus. Haec est Albapinae Aurelianensis Episcopi, in antiquitatis Ecclesiasticae admodum versati, conjectura ad Sabianum Diaconum lapsam, eviderent innuit Ecclesiae consuetudinem lapsos majores Clericos ad solitu-

Cabalstii, Notitia Ecclesiastica.

causam vel monasteria ailegandi, sic dicens: *Hortatus sum ut ageres poenitentiam, & in cilicio & cinere voluntaveris, ut solitudinem peteres, ut viveres in Monasterio, & Dei misericordiam jugibus lacrymis implorares.* Augustinus vero testatur lapsi hujusmodi Clericis, & idcirco a ministerio exclusi, manus tamen inter laicos non imponi, lib. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 1. Manus imponere lapsis Presbyteris & Diaconis vetat quoque can. 11. Carthaginense Concilii quinti, cui idem Augustinus interfuit. Hoc tamen scite observat Joannes Morinus lib. 4. de Poenit. cap. 12. tribus primis Ecclesiae saeculis ipsos Episcopos, Presbyteros, & Diaconos fuisse plerumque ad publicam poenitentiam, lugubrem habitum, & manus inter laicos impositionem adactos; idque convincit variis antiquorum patrum, Tertulliani, Cypriani, aliorumque locis: adeo ut disciplina praeconstrata, quae lapsos Clericos a laicis poenitentibus secernebat, non invaluerit, nisi quarto ineunte saeculo. Clerici propter delicta nonnunquam ad communionem laicam redigebantur, ut frequenter canoibus statum legimus; & ita excidebant privilegio Clericalis communionis, per quam admitti fuissent ad communionem Eucharisticam in ipsum Sanctuarium seorsum a laicis, quibus extra Sanctuarium sacra communitio impertiebatur, juxta can. 13. Concilii Bracarense primi, sic edicentem: *Item placuit ut intra Sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris, vel mulieribus nisi tantum Clericis, sicut & antiquis Canonibus statutum est.* Atque ita per poenitentiam Clerici rei seorsim ab aliis Clericis extra Sanctuarium promissive cum laicis divinae participabant Eucharistiae. Sic S. Papa Gregor. lib. 4. ep. 5. mandat, ut Saturninus Presbyter iuste depositus, *Si poeniterit, inter laicos accipiat communionem:* Et in Synodo octava, act. 4. adversus quosdam Episcopos olim ob Photiniam haereseos depositos, asserentes se olim a Nicolao Papa in communionem Romae admisisse, haec respondet Maximus Romanae Diaconus Ecclesiae, eademque in Synodo Legatus Pontificius, *Quando isti Romam adventarunt, ego in Ecclesia S. Mariae, qua dicitur Praesepis, ministrabam. Illic eos suscepit Sanctissimus Papa Nicolaus, per satisfactionem libelli & juramenti, nec tamen contulit eis communionem in loco Episcoporum: Si vero contraxerint, ostendant quod eos suscepit in communionem ut Episcopos.*

10. Duplex a Sacerdotibus administrabatur poenitentibus publicis manuum impositio: una quidem quae ad singulas collectas iterabatur, ante ipsorum ab Ecclesia dimissionem, fieri ante offertorium solitam, fundebantque Sacerdotes pro illis ad Deum preces cum manus impositione, quae dicitur deprecatoria. Altera erat Sacramentalis, & absolutoria vocabatur, & reconciliatio seu communitio pacis: haec manus impositio semel tantum indigebatur poenitentibus, & tunc poenitentiae publice legitibus solvebantur, nisi anticipanda esset ob vitae discrimen superveniens, nondum expleto tempore ad poenitentiam praestitum, hac tamen lege, ut si convalesceret reus, interrupta poenitentiam prosegueretur ad tempus, vel Canone, vel Episcopi arbitrio praesinitum. Nunquam vero reconciliabantur poenitentes, quin simul sacra eis Dominici corporis indulgeretur communitio, testificante Ambrosio lib. 2. de Poenitentia cap. 3. *Quotiescunque peccata donantur, corporis eius Sacramentum sumimus, ut per sanguinem eius fiat peccatorum remissio.*

11. Quae vero crimina expianda publica poenitentia erant, ad tria potissimum reducebantur: infidelitatem, luxuriam, & homicidium; ut docet Tertull. de Pudicitia c. 14. & 12. Pacianus in paranesi: *Reliquae (inquit) peccata meliorum operum compensatione curavit Spiritus Sanctus. Haec vero tria crimina ut basilici affatus, ut veneni calix, & lethalis arundo metuenda sunt. Quid facies contemptor Dei? quid sanguinarius ager? quod remedium capiet fornicator? nunquid aut placere Domino desertor ipsius poterit? aut consecrare sanguinem suum qui fudit alienum? aut reintegrare Dei templum qui illud formicando in se violaverit: ista sunt capitalia fratres, ista mortalia.* Greg. Nazianz. in sua ad Lectorem Episcopum epistola, poenitentiae publice his tribus criminibus indictur rationem petit a tribus animae humanae primariis facultatibus, ratione, concupiscentia, & ira; quatenus rationem omnis in Deum impietas pervertit, iram homicidia attingunt, ut cupiditatem seu libidinem maechia, qua omnia speciebus diversa, quae per carnis concupiscentiam exercentur, flagitia continentur. Ad infidelitatem ibidem refert omnes magorum praestigias, incantationes, & daemoniacas invocationes, Concil. Arelatense primum can. 14. & Agathense can. 32. subjiciunt publice poenitentiae crimina falsi, siue in chartis & scripturis, siue in falsis & calumniosis accusationibus & testificationibus. Publicarum poenitentiarum praxis in Ecclesia duodecim integris saeculis viguit. Et quamvis poenitentibus annorum gestatio, & militia interdicta decem omnino